

II. *f. N. f.***Succincta Succini Prussici
Historia & Demonstratio.****Sectio Prima.**

Regiones in quibus per universum terrarum orbem Succinum generatur.

C. I.

Regiones Africæ, Asie, & Europæ, in quibus Antiqui Succinum generari crediderunt.

§ I. **S**uccini antiquissimis temporibus cognita virtus celebre ipsi pluribus ante CHRISTUM natum seculis apud Scriptores Græcos peperit nomen ; Inter Philosophos à Platone & Aristotele ; inter Historicos ab Herodoto & Ctesia ; Inter Poetas ab Æschilo commemorari meruit.

II. Postquam Romanis admirationi esse cœpit, & his Authoribus gemma redditæ est memorabilis : præsertim quum NERONIS mores in luxum succino abuti docerent. Longo hinc intervallo succinea munera à Gothorum in Italia Rege THEODORICO depraedicata legimus, ut nec apud Barbaros Succinorum metnoriani gratia interire fineret.

III. Quantacunq; veò *Succinorum* vetusto ævo fuerit æstimatione, terra tamen in quibus generantur, incognitæ mansere ; inde tot sententiarum divertia, his in Africa, istis in Asia ; aliis in Europa thesaurum reconditum memorantibus : In Africa Hesperidum horti, Ægyptus, Æthiopia, Numidia ; In ASIA India præcipue, juxta & Arabia, succiniferae creditæ

B

IV. Inter-



IV. Inter Europæas ditiones, Italæ, & in eadem Eridani, vicinij; maris Adriatici ex succineis divitiis præcipua laus fuit; quam tamen fida magis historia, Romanis latè per Germaniam viætricia arma circumferentibus, maris Germanici ac Baltici Insulis vendicat; Hispaniâ & Britanniâ in partem aliquam gloriæ admissis.

C. II.

Recentiores qui in Africa, Asia & America Succinum generari affervarunt.

§ I. **V**Erum ut veteribus tot regiones succiniferas allegantibus ignosci posset, nescio an proximo aut huic nostro ævo venia sit danda, etiamnum ex Africa & Asia, quin ex novè detecto orbe, nativum succinum afferenti, vulgato insuper Orientalium Succinorum nomine.

II. Quod enim cum pace tantorum virorum dixero, pleriq; Auctorum sunt intestabiles, rumoribus plus justo tribuentes: oculatos testes fallere & falli nescios, vix produxeris. Quin nomen Ambari sive Ambræ, quod Succino cum preiøsissimo & fragrantissimo Orientali bitumine jam diu ap. plurimas nationes commune esse cœpit, non paucos in errorem induxit: Succinum enim crediderunt, quum Ambram in memoratis Africæ, Asiæ, Americæ locis nasci acceperant. Si non alius error Succinum Orientale progenuit, Resinâ Copal, Succinum mentiri aptissimâ, hoc nomine ab Officinis Pharmaceuticis adoptata.

III. Nec Naturæ impotentiam accuso, ac si Polydædalæ omnium genitrici his in locis Succinorum fœtura denegata foret; certiora Saltem monumenta desidero, quibus de genitis in Africa, Asia, America Succinis fides firmari queat. Et quî sagacissimus Chinensium populus tantos in Prussicum faceret sumtus, si domi haberet unde sumeret Succinum? Per multos qui in Orientalibus partibus commorati diutius, rerumq; Physicarum fuerunt gnari, ipsæmet atq; Amici, coram & literis, percontati sumus, neq; incidimus in quempiam, qui certi quidpiam cum fiducia edifferere nosset; majorq; pars, quicquid de Orientali Succino fama sparsit aut scriptis prodidit, incertitudinis aut falsitatis condemnavit.

C. III. Euro-

C. III.

Europæ Regiones esse Succiniferas, sed nec omnes, nec æquæ; prærogativâ ad mare Germanicum & Balticum sitarum.

§ I. **N**EC in Europæ memoratis omnibus Provinciis Succinum generatur: inanibus Auctorum de Eridano, mari Adriatico, aliisq; Italiae locis succiniferis, commentis; Nec de Hispano, Britannico, Pannonicô Succino graviora aut certiora prostant documenta: Gagates Succini nigri appellatione scriptoribus impositissime videtur.

II. Reliquis Europæ ditionibus succiniferis fide digniora & illustriora adsunt monumenta; & de Polonicis, Silesiacis, Bohemicis succinis effossis, quamvis raros in Patriis Annalibus præcones naœta sint, indubitâ experientiâ constat.

III. Germanici Succini crebrior & evidentior est memoria: In litoribus maris ad insulas Belgicas, ad Holsatiæ, Jutiam, in ripis etiam fluviorum, lectum; quin ex interioribus terræ visceribus erutum gravissimi Auctores consignarunt. SAXONIA, MISNIA, ISLEBIA. SUEVIA, ex gremio matris telluris se hunc fœnum suscepisse, aliquoties attestantur: Hallensesq; Carbonariæ sodinæ SERENISSIMI FRIDERICI III. auspiciis non ita pridem detectæ, succineas viliores glebas plus via simplici ostenderunt; fidem faciente D. Krug. S. Electoris Brandenb. Archiatrorum Comite & Consiliario, rerumquæ Metallicarum Directore gnarissimo atq; meritissimo. Nec ignobiliora testimonia inclyta MARCHIA perhibet: Superiori seculo Jodocus Willichius, propè Neomandram, novam cellam dictam Francofurto ad Oderam tria milliaria circiter distantem, in lacu ingentis ripa Succinum Falernum repertum; Nostrâ ætate in ripa Viadri propè Custrinum juxta pagum Schaumberg inventum CL. D. BECMANNUS; èque fossa Insulae Pottamensis regnante MAGNO FRIDERICO WILHELMO eductum CL. D. ELSHOLTIUS memorarunt.

IV. Major Succinorum est proventus in locis mari Baltico vicinis. Suecia, vel ex lacu dulcis Meleri ripa ejectum sæpius legit, aut effossum sustulit. DANIA ex fossa Hafniensi insignia Succina vidit & admirata est; atq; ex collibus Seelandiæ

elandiaæ suæ mediterraneis non contemnendâ magnitudine ac multitudine prodiisse, uniusq; colliculi fussionem quinquaginta libras erogasse, vomereq; ex agris extracta meminit ; testesq; CL. BORRICHII adiunt literæ, Insulas Cimbriam Holsatiamq; allambentes [formoe, Mandoe, Röm.] ad litora sua in Oceano pariter copiosum Succinum expiscari.

V. Liberalius longè in SAMOGITIÆ, CURONIÆ & LIVONIÆ contermina maris Baltici litora Succineæ opes redundant ; ut inter algas arenasq; absconditæ à rusticis confertim deprehendantur : Reticulis haurire SERENISSIMUS DUX CURONIÆ instituit : Inter arandum quoq; & inter fodiendum in maritimis jugeribus sese ultro, sine gravioris laboris impendio offerunt, vili pretio ab Electrotoreutis ibi locorum quondam cœmpta.

C. IV.

Inter Regiones succiniferas ad mare Balticum, principem esse Prussiam & ab hac secundam Pomeraniam.

§ I. **V**Erum nulla maritimarum Provinciarum æque opima spolia ex mari Baltico legit, nulla ex sinu telluris æque numerosam prolem succineam suscipit ac Prussia, ut Eleætrides Antiquorum nullibi rectius collocaveris : idq; meritò Æstiorum, qui Theodorici Regis Italæ tempore etiamnum has terras incolebant, Legati ante omnes homines suam Patriam Succina offerre gloriabantur: tulitq; deinceps PRUSSIA à non paucis Scriptorum istud elogium, quod Italæ olim perpetram erat tributum, ut sola Succinorum genitrix salutaretur.

II. Antiquissima quidem monumenta, quibus ordinis Crucigerorum post Christianismi professionem, res gestæ sunt conditæ, indicium patrii thesauri posteritati relinquere neglexerunt ; tandem Civitatibus ab Ordine secessionem facientibus etiam Succini mentio adjecta est : Sub DIVO verò ALBERTO, Florentibus Provinciæ rebus, non desuère decora ingenia, quæ regiam hanc Naturæ gazam Eruditio orbi graphicè exponerent.

III. Sed quod unica Succinorum Promiconda celebratur, non solum divitiis quas mare in Prussiam effundit acceptum ferendum, verùm & illis, quas litorei montes ferro patefacti libera-

liberaliter elargiantur, quasq; loca à mari longè diffita, interanea nec opinantibus nec cogitantibus colonis, dum aratro sulcos ducunt, aut colles decacutuminant, aut scrobes fossasq; varios in usus excavant, haud parcè offerunt.

IV. Allata sunt mihi ex Sambia, ex Natangia, ex Hockerlandia, ex Pomesania fortuitò inventa Succina; & propè oppida Hollandiam, Liebstadium, detecta; quæq; ex Electoralis Lithuaniae agris effossa, Varmiensia quoq; & Elbingensia possideo. Olim vir Consularis mihi amicissimus annotarat, in silva quadam Kerbwald Elbingensis ditionis Anno 1641. intra modicum temporis spatium, septingentas libras fodiendo ex terra erutas; frustumq; insigne Amicus nuperrimè dono dedit, cuius idem natale fuerat solum. Et in ripis Lacūs Recentis ac Curonienfis, fluviorumq; Pregelæ, Vistulæ, Elme, lecta adeptus sum. Adeoq; nullus dubito, totum PRUSSIÆ fundum succineum affirmare, præsertim quum scaturigo, de-repentè Anno 1666. circa oppidum Bartenstein exundans, tantam vim succinorum egeffserit, ut fisci reditus augeret; quæ à terræ visceribus avulla, nec mare vidisse unquam, certa est fides.

V. Post Prussiam Pomerania succinifera nominari meretur, illo potissimum oræ maritimæ tractu, qui per litora Electoraliū hinc & Olivensum ac Gedanensium ditionum ad Neriam recentem excurrit. Multum Succini cum Decumanis fluctibus ad hanc oram advolvitur, iisdem signis proveniūt manifestantibus, Electrotoreutarum Gedanensium quæstū non spernendo, qui à senatu justo pretio, quæcunq; ad Neriam appellunt, redemerunt. Ad Insulam Rugiam usq; maris Baltici effusa est liberalitas, siquidem & hæc succineis glebis potitur; juxta Hiddensee & lectas & haustas percepi.

VI. Nec mediterranea Pomeraniæ Succinorum sunt vacua, quippe quod pariter bonâ fortunâ in eadem ruricole aliud agentes incident saepius, quamvis Scriptoribus ejusmodi prosperos eventus Annalibus insérere minus curæ fuit; Curoniæq; & Samogitiæ inter succiniferas palmam Pomerania dubiam reddit.

C. V.

In Prussia oram maritima litus Sudavicum Succinis abundare ; cujus facies exterior & interior describitur.

§ I. PRUSSIAM quaqua versum succiniferam prædicavi, ut tamen præcipuè litoris Sudavici amore Succina detineantur : Situm est Litus in ista parte, quæ Sandia vocatur, à novo transitu (*Neve Tiff*) ad tabernam (*Vrantz Vrug.*) decem milliarium spatio.

II. Regia hæc Succinorum sedes, septem recessibus, vulgato angulorum vocabulo, antiquitus distinguitur : *Krecke, Nodums, vel Nodems, Laffnicken, Kuckse, sive Kuyck, Palmenick, nempe, Thierskeim*; nostrâ ætate non *Nempe*, sed *Kraydepellen*, sive *Krappellen* inter *Palmenig & Subenig*, tum *Bruster* magis quam *Dirschkeim*, & præter hos alii accensentur.

III. Litus omne altis montibus præcingitur, mari vadoſo; à primo ingressu trium quatuorve, mox triginta aut quadraginta orgyarum, postquam progressus fueris profunditate minori, perendo longius rursus altissima; ut brevia sive Syrtes intellegas, quæ litus Sudavicum, hujusq; recessum Brusteram ad primè naufragiis infamant.

IV. Prærupta & ardua recessuum juga, quædam lenius atolluntur, versus Pillaviam in planitiem desinunt. Solum minus firmum; alicubi latentium aquarum commeatu fallax, in tantum ut quasi voragine equi & homines absorpti memoren- tur; maximam partem fabulo tegitur, aliquot areolæ herbis investiuntur, *Petasite, eryngio, lappâ*; rariss arbustis aut fencetis, quæ tamen ad Brusteram silvescunt; eademq; cum parte montis aliquando subsidunt; Rupes nullæ, nec laxa, præterquam ad radices montium: aquæ ex summis jugis passim diminant, quæ inferius alveis collectæ rivulos imitantur.

V. Istâ exteriori facie litoris Sudavici, interanea mineralibus abundant: Vitrioli non una comparet species: alibi niveis striis, terrâ nigrâ interjectâ, stratum super stratum; alicubi fusum vitrum, lignis fibris hinc inde interlucentibus, præsentat; alibi teræ micacium pulvifilarum instar est admixtum.

VI. Præter vitriolum corticea terra, quâ integri colles exsurgunt, & lignum quod litoreos montes longo tractu medios dividit,

dividit, sunt conspicua ; tum terra flavescens, quæ Ochram
æmulatur, & lutum cœruleum, certis intervallis per litus ex-
pansum.

VII. Ex lapidibus memorabilis Daetili Idæi (*Alpenschöß*)
inter saxa & arenas dispersi, sed & ex montibus effodiuntur :
Saxa mari vicina aliâ parte durissima, alia friabilia visuntur :
Petrefacta quoque ligna, lapidesq; algâ marinâ, tenui foliâ &
vesiculari luxuriantes inveni : mitto varios lusus Naturæ, in
quos incidi. Præter vulgares lapides, & adamantes, & Jaspides
hoc litus quandoq; profert.

VIII. Camporum vicinorum sterilitas summa ; Silvæ raræ,
pineæ nullæ. Illud adjicendum, quod Phocarum greges apri-
cantes, in scopolis & collibus vadosi maris colludentes, sèpius
se conspiciendo præbeant.

Sectio Secunda.

**Matrix Succini, vena ex ligno fossili ; Succini
in eadem generatio.**

C. I.

*Quod matrix non sit querenda in omnibus, in quibus Succinum in-
venitur, e. g. non in alga, arena, Vitriolo, terra flava, sabulo,
aut luto cœruleo.*

§ 1. **D**omicilium Succini in litore Sudavico diversis mine-
ralium concamerationibus compositum perlustravi-
mus, indagandum porrò, in quibus penetralibus succinea fœtu-
ra formetur, ut in lucem edatur.

II. Litus quidem inter arenarum lapidumve acervos Succi-
na monstrat, sed in his non generari manifestum est : multò
minus ex alga marina natales accersendi, licet huic involuta ad
litus propellantur.

III. Et quum intra viscera montium litoreorum ubiq; repe-
riuntur, in Vitrioli interstratis Crystallis ; in terræ flavae, in
fabuli, in luti cœrulei intertexto opere ; non tamē in his om-
nibus prima eorum statuenda incunabula.

IV. In

IV. In Vitriolorum, terræ flavæ & Sabuli partibus raro eventu Succina, eaq; minuta & ignobilia, deprehenduntur.

V. Coerulei luti ductus nondum ita experientia patuere, quod inaccessi, quamvis egregia & numerosa succina fovere à Colonis tradantur ; mihiq; diffractâ luti glebâ, nativus fætus succineus animadversus, quem tenui cortice obductum, colore fulvo dilucidum, inter cara naturæ succinea munuscula Mūsum asservat.

C II.

Quod Lignum matrix Succini, non vegetabile sit, sed fessile.

§ I. **Q**UAM corticosa terra, & præter hanc lignum Litus Sudavicium discriminent, Lignum quod montes interfecat succiniferum esse, ut quod maximè, multorum annorum experientia firmat. Hujusque ductum fossores indagant & observant, nunquam irrito successu, quo usq; instabile solum ipsorum operas progredi permittit.

II. Terra corticosa Succina exigua complectitur ; minusq; solida, & ingrati coloris.

III. Lignum autem minimè ab arboribus est arcessendum ; siquidem tam vastos truncos arboreos, qui prostrati plurimorum orgyarum longitudine & latitudine fibras suas extenderent, nusquam orbis vidit ; integri recessus, sive anguli litoris Sudavici continuo ligni tractu per orbitam notabiliter distincti cognoscuntur.

IV. Neq; arboreis lignis simile est : quippe, quod nec medullæ intimæ, nec corticis extimi ullum prebet indicium ; ramorum quoq; divaricationibus ac nodis, foliorumq; germinibus, prorsus destituitur ; neq; fibras mutat, sed easdem quavis sui parte retinet : mitto quod compagem ligneam referens non tamen orbiculatum concrevisse cernitur, sed planiori specie.

V. Atq; Curiosi jam diu ligna subterranea mirari desierunt, postquam plures Europæ ditiones istiusmodi, è terra eruta, ipsorum censuræ submiserunt. Ducatus Spoletani sive Umbriæ sodinarum lignum elegançissimum undulatum, in quo & artificum ingenia se exercere poterunt, Franciscus Stellutus Lynceus descripsit, inventore Duce & Principe S. Angeli Friderico Cesio ; ejusdem & P. Kircherus meminit. Aliud Germaniæ

maniæ fossile lignum, Solertia D. Pillingen in Misnia detexit, qui & eruditio commentario generationem illustravit. Transmissus mihi Lunenburghensis ditionis subterraneus foetus ligneus, Prussico solidior & ponderosior.

VI. Lignum verò quale litus Sudavicum profert, & alibi locorum, in Prussia interiori, una cum Succinis eratum, ex complurium Amicorum literis fide dignissimis rescivi: Gravesq; mihi Auctores Bartholinus & Borrichius, qui Cortices & ligna ex fossis Hafnienibus iisdem, ex quibus Succina, non exigua quantitate educta attestantur; felixq; capturæ indicum in litore Neringæ ex adnatantibus fragmentis capitur.

C. III.

Generatio Ligni fossili; quod sit bituminosum & varii salibus prægnans.

§ I. **M**Atricis autem hujus, experientiâ Duce, ista indagatio initia ac rudimenta. Colliculi in litore Sudavico hinc inde, imprimis ad Kraxtepellen, procul terra congersta, ubi proprius accesseris cumuli coacervatorum corticum videntur: Superior pars, sicuti à Sole exsiccata fuit griseis, his autem remotis, piceæ nigredinis, magnis & levibus nitidisq; crustis concretam offert terram, quam si cultro secueris, multorum mollissimorum corticum compagem conspicies: ad radicem istorum colliculorum uda terra, glutinoso ac tenaci liquore cohærens, manuum digitorumq; impressorum vestigia exacte refert, sed ut & tangentes denigret.

II. Talem corticosam pinguem colliculorum terram Ligni fossili Prussici judico primordium: Neq; lignum nisi siccitate, & qualicunq; soliditate, quâ magis compactum longiori fibram protensione, continuâ cohæret, à Corticibus ipsis differt.

III. Corticosi enim colliculi ab uda tenaci terra nascendi originem sortiuntur: Hanc postquam maris salsugo aliis subterraneis Salibus admixta maceravit ac subegit, secedente humore superfluo, aér aut calor Solis exsiccat; Siccitate verò à se invicem secedunt partes, quarum pinguedo exhalavit, aut intus concessit; aliæ, quæ glutine hoc abundant, mutuò, licet in crustas compactæ cohærent, speciemque ligni referunt, ubi iusta siccitas, qualicunq; multarum crustarum cohæsioni, ligosam formam conciliavit.

IV. Bituminosam verò Corticum & ligni esse naturam non solum terrestris pinguedo, sed & examen ignis monstrat; accessa enim somitis instar serpentem ignem propagant, sulphurq; naribus afflant; & destillationi exposita, uti inferius tradituri sumus, aliquot oleosas particulas, olei petræ simili odore, dimittunt, præterquam quod liquor destillans succineum pingue quid exhalet.

V. Post bitumen Corticum & ligni generationem salia subterranea promovent; ab his enim siccitas, & crustarum Species deducenda, intimè enim lignis & Corticibus adhærent. Vitriolum superius differimus, quomodo cortices undiq; ambiat, atq; cum illis concrescat.

VI. Aliorum salium non ita manifesta est demonstratio: deprehendi tamen in siccissimorum lignorum, corticosæ compagis, interstitiis scintillantes salinas stellulas & fila splendentia, quæ vitriolum minimè referebant, insipidæ enim prorsus, aut subdulces, lenissimè adstringentes: aquâ assuſâ eduxi illas stellulas, lixiviumq; aluminis aut magis Martis subdulcem saporem prætulit, ut tamen Vitriolica virtus extreum percipetur, quæ inspiſato lixivio evidentior, aliquo tamen subdulcis aluminosi aut martialis saporis sensu.

VII. Nitrum quoq; sub hoc ligno latens olim detexi, fortis lixivio vitriolicis particulis segregatis; quamvis ipsi vitriolo Prussico nitrum videatur admixtum: fortè & stellulæ ac fila salina per intimas ligni fibras diducta, nitrosæ sunt naturæ.

VIII. Alumen quoq; in Crystallis Vitrioli latet, si non prorsus alumini vindicandi, quos SSS componere asseruimus, quiq; amiantho aut alumini plumoso, similes conspicuntur; Acidulus enim horum sapor, ad illum salis succini volatilis proximè accedens.

C. IV.

PRUSSIA bituminosa; vera Succini generatio primum à nobis demonstrata.

§ I. **M**atrice cognitâ quibus bituminis & salis virtutibus fit impregnata, facile est conjicere quomodo succinus foetus Prussicus intra illa n. concipiatur.

II. PRUSSIÆ solam undiquaq; bituminosum cogita: insignes enim glebae bituminis condensati in abditis terræ aut luti aliquo-

aliquoties à colonis casu deprehensæ; ipsemet aliquot libratum frustum non procul à Regiomonto ex limo eductum conspexi; quin olei rivos ex terra dimanasse, non vanâ famâ accepi. Cef-pites verò bituminosi ex pluribus locis effodiuntur.

III. Bituminoso itaq; litoris Sudavici solo, calor subterraneus, quicunq; ille fuerit, bituminis exhalationes per interanea dispersas, undiq; consociat, & in guttas cogit, p̄æprimis ex corticosa aut lignosa matrice eisdem congregat; quod dum agit, simul vicina salia pervadit ipsorumq; effluvia secum abducens bituminosis guttis immiscet; salina spicula intra matricem adacta fluorem bituminosum sistunt, & si nullæ suppetiæ bituminosarum gutterum à calore submituntur, gleba pro modulo incunabuli, quod intra lignum ipsi concessum, formam subit, omnig; exhalationum motu soplito, caloreq; evanescente, salinæ particulæ rigorem recuperant, bituminosis superfluum humorem exhalantibus; sociatæq; succineam gemmam producent; nitidiorem, splendidiorem, fragrantiores, firmiores, ex puritate & proportione exhalationum bituminosarum ac salinarum.

IV. Hæc vera Succini est generatio, quam ante nos nemo Eruditus Orbi perspicuam reddidit: siquidem p̄æconceptis opinionibus laborantes, in animalibus, in vegetabilibus, in fundo maris prima Succinorum incunabula querendo, à veritate aberrarunt omnes. Neq; istos Succinorum natales in lucem produxissem, nisi crebra litoris Sudavici peragratio, & attenta fodinarum perlustratio Propitii Numinis ductu me recto trahite fecissent verum cernere.

C. V.

Eadem baustilium Succinorum generatio: Succinum in animalium ventriculis repertum.

§ 1. **A** Sensem me uit nostra demonstratio, maximis Ero-
pæ Euditæ nominibus ipsam probantibus. Aliqui-
bus tamen is superest scrupulus, an eadem Succinorum, quæ
mare ejicit, generatio statuenda? Verum quum in vulgus hic
locorum jam notum sit, ex collibus marinis tempestatum vi
disiectis aut convulsis Succina prodire, quæ à fluctibus ad litus
advolvuntur; capturæ fructuose, aut inanis, ex collium isto-
rum divulgione, leviori aut profundiori, sumto indicio; Qui,

inquam, quum haustilia Succina intra colles generari certum sit, alius modus intra hos generandi reddetur vero similis?

II. Sanè in collibus submarinis non minus quam in litoreis Naturæ Officina erit instructa : addo, quod inter ejectamenta maris & lignorum fossilium copia in litore Sudavico, æque ac in Neringensi, reperiatur: quid si colles alluvionibus obiecti, qui quondam terræ pars fuerunt? Si quoq; in collibus submarinis reliquorum mineralium eadem generatio, cur non & Succinorum?

III. Cæterum sicubi extra Matricem lignosam, in luto cœruleo, in terra corticosa, flava, sabulosa, Vitriolica Succinum nauci contingit, ne tunc quidem alia ratio generationis suberit: pariter enim ex bituminosis exhalationibus in guttas condensatis salium justâ miscelâ, istæ glebae pronatae fuerint.

IV. Neq; tamen ubicunq; reperitur ibidem & nativa Succini sedes illiò afferenda, per matis enim vehementiam à matrice avulum in aliena loca sœpè rejicitur.

V. Quin & animalium ventriculis recondita Succina novi; visceribus patefactis exempta Amici dono miserunt: nec tamen in animalibus Succina generata dicemus.

VI. Ex accolis litoris Sudavici addidici, omnis generis animalia, terrestria, aquatilia, volatilia, avidè succineas glebas deglutire, adeòq; intra macratorum viscera non raro observari. Corvi & Cornices tanta copia ingerunt, ut egerere rursus vesperi cogantur & minutæ complures sub arboribus, in quibus confident, inter excrementa reperiuntur.

Ab asellis (*Pomacheln*) deglutitæ plures mihi obvenere; insignior trium digitorum transversorum longitudine, duorum latitudine spectatur. Est ex Ova globus succineus mirabilis, quem crustâ gypseâ mucus ventriculi obvelarat, quâ ab Electrotoreutâ imprudenter abrasa, patuit ex pluribus glebis, à calore animalis subactis, fuisse formatum.

VII. His de Succini generatione traditis, veterum aliena placita facile rejiciuntur; neq; enim animalium, neq; arborum, neq; maris genitura Succinum esse poterit, postquam fossilis certa matrix in telluris gremio summi accuratione demonstrata fuit.

Sectio Tertia

Rudis Succini, & illorum, quæ in eodem apparent,
aut ipsi adhærent, vel includuntur consideratio.

C. I.

Collectio Succini ; an molle vel durum ex matrice prodeat ?

§ 1. ET mare & terra in Prussiam succinea dona confert : sed maris dona partim in litore leguntur, partim ex aqua hauriuntur : Vadofo scil. mari, signis apparentibus, coloni reticulis conto affixis fundum verrant, aut fluctibus volventibus eadem adversa opponunt ; hæc quæ haustilia : reliqua, inter ejectamenta, quæ natantia prævæ indicium faciebant, algarum, farmentorum, lignorum aut arenarum sedulo investigantur & feliguntur, lectaq; audiunt.

II. Ex terra vero, quæ fodiendo acquiruntur, fossilia appellantur : Amam longiori conto præfixam venæ, in montium litoreorum jugis conspicuae, admovent, tentando sicubi glebam ligno immersam offendant, quâ animadversâ lignum leniter radunt, amâq; subiectâ glebas excipiunt, exceptasq; adducunt, sacculoq; à collo pendulo induunt.

III. Fodinas subterraneas Litus Sudavicam ignorat ; in exterioribus partibus fossorum opera hæret, fossioq; ad venarum ductum priscis ignota MAGNI FRIDERICI WILHELMI auspiciis primum montes exercuit.

IV. Nec tamen ubiq; fossioni patet litus, sed certorum recessuum juga ista operâ fatigantur ; Eroß, Gubnicken, Ekroß Dirschkeim, Warnicken, Strobschnee, Palmnig ; & sicubi matrix linea se conspicendiā præbet, atq; ad eandem facilis ac tutus est aditus.

V. Succinum uti ex matrice producitur, quod in fossorum operas intentus ipsem expertus sum, rigidum & durum tactu dignoscitur : contingit aliquandò frangi dum protrahitur, sed virtus glebæ ; Succinum enim Succino duritie præstat.

VI. Non pauci tamen & prisco & nostro ævo mollia ac liquida quidam ab alterâ parte durâ, ab alterâ mollia succina sibi visa jactitarunt : quæ mihi isto nomine oblata, nec fragrantia, nec sapore, nec deflagratione se succina probarunt ; ca-

Si itaq; inter haustilia reperta bitumina istis Auctoribus in succineum censum referre placuit. Verum & picea gleba, & carbono fossilia, & segmentum pice navalium abductum, aliaq; plura unā à fluctibus maris in litus projecta, istā ratione succinei censū habenda forent.

VII. Opinio, quæ in fundo maris scaturigines liquidi bituminis commenta est, ut à salsagine maris coagulatum succinum haberet, mollia istiusmodi succina peperit: Neq; hauriendo, neq; fodiendo, neq; legendō sibi mollia cognita, illi qui rerum succinarum assiduum curam gerunt, asseverarunt omnes. Ipse, magnos succinorum rudium acervos perscrutatus sedulò, nullum molle adverti, quod virtutis experimento succinei generis agnovissim.

VIII. Vulgo persuasum est, discriminē fossilia & haustilia intercedere duritiae potissimum, & puritatis, ac crustæ diversis notis. Verum falluntur, qui istud in animum inducunt ut credant: Evenit ut extra matricem alienis in locis sepultorum robur aut calor aliquid virii contrahat, crassiori etiam crustâ superinductâ; hi tamen casus nativorum differentiam minimè inferent: Æque intra colles submarinos, ac intra litoreos, pro varia bituminis & salium copiâ ac virtute nobiliora & ignobiliora succina generari certus sum.

C. II.

Varia species rudium glebarum; Phænomena; exterius annata.

§ I. IN glebis succineis formandis mirum Naturæ elucet in genium: ut in lucem eduntur, pira, amygdalas, cepas, pisa, aliasq; fructuum species, aut peregrinorum corporum simulachra, vario lusu referunt; Guttarum his apud Electrotoretas nomen, quum globosam figuram maximâ sui parte exprimant.

II. Major pigmentorum in crusta denudatis admiratio. Literata Naturæ Succina plura vidi: teneo in quo albescens linea flexu suo concinnè literam S. Latinorum efformavit, reliquâ frusti facie flavâ: Arabum ac Hebræorum characteres quædam ruditer exhibent.

III. Præterea arbicularum, frondium, nubium, ruderum, aliarumq; quarumcunq; rerum delineamenta in succino variegato curiosus oculus adverteret.

IV. Est mihi Pectore tenus efficta senilis imago, in ulna infantem

infantem reclivem monstrans ; IESUS parvulus in simeonis amplexu hærens animo obversabatur, quando primum hanc Naturæ picturam intuebar.

V. Rumor increbuit, fidem habentibus Eruditis, ducatum Belgii sœderati insignibus & Symbolo conspicuum intra Succinum ductu Naturæ delineatum comparuisse. Ego vanum arbitror rumorem ; neq; cohærent quæ de nummo Auctores prodidere ; alii polonicum grossum simili Naturæ ingenio impresum tradidere ; pari fide : mihi incredibile videatur, illorum, quæ prudentiæ consilio, artisq; ministerio peraguntur, ectype à naturâ, animæ vitali destitutâ, reddita esse unquam, aut posse redi.

VI. Cæterum & quæ Succinis concreta adhærent, memoratu non indigna puto : Inter hæc Algæ vesicularis & tenui foliæ rami, radicibus firmiter infixis, ex succineis glebis propulsantes invenient locum ; tum filex parvulus, eminentiori liberâ, latiori parte Succino obvoluta : Alii glebae lamina ferrea agglutinata est : Et segmenta lignorum, conchylia, variaque alia adnasci contingit.

C. III.

Animalculorum Succino inclusorum accuratior demonstratio.

§ I. **A** Nimalculorum succinea funera, jam Plinio & Martiali celebrata, intentiorem curam exposcent ; ultra triginta species insectorum in meis succinis numero ; muscas, araneas, culices, formicas, papiliones, apes, millepedes, teredines, curculiones, erucas, scarabæos, ex cornutis & deauratis aliquot, & quorum nomina memoriam subterfugiunt.

II. Sunt qui & perfectiora animalia Succino condita memorant, ranas, lacertas, piscesculos. Quibus ut fidem habeam ægre à me impetro, quamvis Plinius lacertam, Martialis viperam Succino tumulatam habeat ; Sed & isto ævo preti cupidio artis fallacias intendere novit. Hermanno decantata Ranæ & Lacertæ sepulchra non uno modo mihi suspecta redduntur. Piscesculos fraude artis Succino inclusos, jam aliis animadversum est.

III. Nativa animalculorum succinea feretra ab arte elaboratis illo maximè distinguis, quod in ipsis non procul à superficie, infecta implicita reperiuntur, in his verò meditullium occupant ; scilicet artem non ita feliciter occultarent. Electrotoreu-

tex, si extimas partes excavarent, illisq; animalcula crederent, translucida enim succinea lamina fraudem proderet. Si quoq; solidum purum, nullis fissuris hians, nec crustarum compage distinctum est Succinum in quo sepulta sunt, illud non à natura fabrefactum scias monumentum ; Pleraq; enim glebae succineæ, quibus animalculorum exuviaæ sunt repositæ, id quod millies contuitus sum, corticatum cohærent, aut fissuris hinc inde sunt intersectæ, ex quibus & pars exuviarum aliquando ex erius conspicienda prominet.

IV. Neq; omnium intra succinum reconditorum animalculorum par est conditio : Alia situ obducta, alia nitida, quædam succineo fulgore splendentia intueor : Duas apes & erucam, nidumq; curculionis situs obtexit ; scarabæus fulget ; ex muscis quædam nitent.

V. Porro alia vivacitatem, alia languorem præ se ferre ; nonnulla quasi evigilantia, cum conatu vinculo isto se extricandi, conspicies.

VI. Quædam Succina integrum examen insectorum, & ejusdem & diversi generis, involutum, commonstrant.

VII. Vexata hinc Curiosorum quæstio, quomodo Succinum animalcula oppresserit ? Non pauci difficultate quæstionis permoti fætum arborei succi Electrum contendunt, quasi resinis aut gummi arborum adrepentia animalcula irretirentur facilis : Verum absq; experientia suffragio ; neq; in resinosis aut gummosis stillis hunc in modum, si rectè memini, inclusa insecta magno numero, si modo ullo, Curiositas haec tenus detexit ; extruscus adhærentia conspeximus, non ita fuso liquore obtecta.

VIII. Alios gravitas argumenti eò adegit, ut negarent esse quæ in Succinis videntur animalcula ; Phasmata ludos istos dare. Sed fractorum aut lectorum inspectio hos refellit, manifesta enim insectorum supersunt indicia ; licet enim corpuscula animalculorum vis bimimosa ita subigat, ut fibris succineis intercurrentibus viscera condensata in lapidem indurescant, quando facilis per rariorum texturam insectorum effluviis succineis est commeatus, tamen corporis alieni habitum luculentiter discernere datur ; Apumq; nostrarum exuviaæ, interaneis consumatis istud ob oculos egregiè sistunt. Posset Phasmatisbus etiam opponi, quod quidam viscera animalculorum in Succinis distinctè sibi cognita affirmant : Verum artis commentum ejusmodi succina concinnavit ; quæ natura composit, non ita discreta monstrant viscera.

IX. Fu-

IX. Funestos itaq; casus, quibus infecta à Succinis sunt oppressa, ut rectius percipiamus, repetendum memoriam, quod infectis usu veniat, si quando tempestatum aut hiemis injuria compelluntur, cavernas & latebras ubiq; querere, inibiq; somno sepulta delitescere; id quod totes contuemur, quando muscae ex rimis fenestrarum vetustate exesarum situ consperæ subito prodeunt, hypocasti vel Solis calore excitatae.

X. Quare cum & litorea latibula non unum genus insectorum subintret, in illisq; aliquando hæreat invitum, aut obdormiscat, exhalationibus bituminosis à calore subterraneo in laticem collectis, ubi in matricem Succini, quæ latibulum ac dormitorium interea præbuit, liquor destillat, eadem implicat & obtegit, gremioq; suo suscepit quando succinum evasit, commonstrat.

XI. Contingit bestiolas in dormitorii istis à calore subterraneo excitari; aut in vivas fluor bituminosus impingitur; sed quum nullum vigilantibus patet effugium, eandem cum dormientibus sortem subire coguntur, ut tamen sortis tunc suæ in sepulchris succineis relinquant memoriam; vivaciori atq; animosiori corpusculorum simulachro:

XII. Firmat nostram sententiam istud, quod succino sepulta infecta pleraq; sint ex illorum genere, quæ cavernas in dormitoria eligunt: majorem partem etiam languida ac somnolenta, aut mucosa transparent.

XIII. Vivacia, qui cum nisu obluctantur, aut alas expandunt, abitumq; parant, rariora puta. Sed tantam vivacitatem, quæ amoris æstu in coitum animalcula concitarit, ut isto nexu cohærentia succineus latex involvisset, hospitio huic subterraneo minimè convenire autumo; Quare quæ culicum muscarumve istos hymenæos ostendunt feretra suspectis ad numero.

C. IV.

Vegetabilia Succino inclusa; mineralia itidem; & aqua.

§ I. **O**bvia sunt cuivis Succina, quibus animalcula continentur; speciosiora alia depromam quæ plantarum germina sinu suo obvelant.

II. Est mihi in quo explicata algæ vesicularis folia alas Aquilæ expansas & pedes cum corpore utcunq; adumbrant. Aliud semen tiliæ, stipitisq; partem; aliud folliculum diductis foliis,

hiantem, quatuorq; semina complexum, ex quibus apex medius exlurgit, caulinulo ad superficiem protenso & prominentem ; est quod muscum, in pergulae s. porticu[m] hortensis speciem, fornicatis operibus compositum obtutui sistit : In alio flosculus minimus marcescens, in altero rosmarini silvestris, Prussis Korhl dicti, ramulus tribus foliis divisus transparet ; Rude aliud algæ memoratæ vesicularis ramum majorem per corticem non politum ostentat.

III. Plura ex musco villos disjectos obtinuer[em]: Nobile autem illud, in quo pars albescens convallum & colliculum musco investitum exhibet, sed per speculam quasi, quando ex flavo ignei coloris succino, huic amoenissimo spectaculo mirabili naturæ artificio quasi vitrum est objectum, per quod mucosi apparatu[m] delicatior esset aspectus : Nec vile alterum aqueo lactescens coloris, quod villorum muscosorum crispa-ta-congeries nobilitat. Spectabiliora hæc herbarum succinea monumenta quam illa animalculorum censeo.

IV. Major copia Corticibus, lignis, & festucis intertextorum ; festucæ pineæ videntur, specie istarum quibus formicæ acervos extruunt ; Verum accuratori examini fossilis ligni ac corticis momenta patuerunt.

V. Ex minerali regno quoq; adducenda, quæ succinis inclusa : Vitriolum saepius saporis promte dijudicandum ; Pyrites quandoq; crebrius ferrum, de quo Electrotoreutæ conqueruntur, quod non nisi cum detimento instrumentorum educatur : Armatura quoq; aurea & argentea, divulsis coagmentatis partibus, in impuro conspicitur.

VI. Sed & aquæ guttas intro receptas diversis alveis stagnantes Succina detinent : qui effluit liquor falsus aut subfalsus, aliquando & insipidus. Non exsiccati, ab aliis cum Luna crescere & decrescere liquor traditur ; habeo in quo exiccatus est ; habeo in quo perennat semper idem.

VII. Quæcunq; autem ex plantis, mineralibusve succinum complectitur, casu haud absimili, dum in matricem illapsa sunt, à fluore bituminoso obfessa atq; occupata intelligo.

VIII. Aquearum guttarum intra Succinum occlusarum singularis ratio cogitanda : Udam matricem calida bituminosa exhalatio obfepsit, intro compulsa aqua à calore subterraneo consumi nequit, & ob copiam circumstantiis bituminosi lati-cis nullam rimam quam diffueret invenit ; præcluso itaq; exitu, captiva

captiva se includi passa est ; conatum elabendi, quando in arctum coacta fuit gutta, manifestis indicis quædam glebae produnt.

Sectio Quarta.

Ad quam classem Succinum sit referendum, & quot modis à reliquis differat mineralibus.

C. I.

Succinum non ad metalla, nec ad terras aut salia, nec ad bituminas aut sulphura esse referendum.

§ I. **F**offile Succinum declaravimus, illisq; quæ rudi adhuc accident generationem illustravimus, sed ut penitus natura introspectiatur, genus fossilem ad quod accedat proxime explicandum erit.

II. Metallis non esse accensendum, vel illud arguit, quod nec ductile sit, nec liquabile : sicubi enim in fluorem deducitur soliditati ejus multum decedit, contra quam metallis evenit.

III. Fuerunt, qui Succinum fundendi, & parva frusta in unam molem salvâ firmitate uniendo artem se tenere asseverarunt ; inter adeptos numerandi, si idoneis documentis fidem fecerint ; neq; minus quam ex lapide Philosophorum lucrum Electrotoreutæ ipsis promittunt. Ego variis experimentis, cum fusioni Succini operam dedi, frustra istud tentari didici, siquidem Salium vis, à qua maximum succinorum robur, inter solvendum avolat ; nec à fuga retinetur, nisi addito aliquo ; eo ipso tamen soliditas corruptitur. Quod si calor tam blandus admoveri posset, qualis natura in animalibus humente vapore miscet, non desperandum arti putarem ; Globus enim Succineus in ovis ventriculo repertus ex pluribus minutis coagmentatus est, relictis juncturæ ubiq; vestigiis ; quæ ipsa nec fusorium, sed tepidum glutinantis commodum ignem à natura adhibitum fuisse indicant.

IV. Fusca succina, quibus sceleta obducta atq; succinea fumera venditata, vernix sunt, uti amicissimus D. VOGEDING optimè monuit. Solvi olim Succinum & liquefeci, solo ignis adminiculo, nullâ aliâ readmixtâ, sed fragilius justo comperti, imminuta coloris gratiâ, salinis minutis quæ lateribus vasis adhærebant causam redditibus.

V. Multò minus ad terrarum aut salium classem Succinum referendum erit ; quum terris arctius cohæreat, & salibus sit pinguis, utrisq; etiam humidus.

VI. Ad bitumina & Sulphura proprius accedit, ut tamen durities ipsum ab his discriminet, tam dura enim ac solida pura bitumina aut Sulphura nemo indicabit.

C. II.

Quod Succinum sit gemma : virtus attrahendi levia & humores corporis humani.

§. I. **D**urities Succinum inter Lapidés, splendor inter gemmas collocat ; Neq; fragilitas obsecatur ; fragilis & gagates ; gemmæq; gemmis solidiores, nec tamen propterea loco moventur : Electrotoreutæ satis dura Succina experuntur, alba in primis, ut ferri aciem hebetent ; tormenta & mortaria ludicra, à pulveris pyrii explosione illæsa, soliditatem docent : Summa etiam Succini ex duritate & soliditate gloria : faceant itaq; friabilia ac fragilia, quæ ignobilitate contemta ab Arte rejiciuntur.

II. Sed virtutum, quæ Succinum à reliquis gemmis discernunt, præcipua Antiquis visa attractiva, ut electrica ipsis vocatione corpora, quæ facultate trahendi quidquam ad se polerent ; & celebre hujus virtutis nomen Platonis etiam ingenium in explicando exercuit. Recentior ætas quæ res naturales intentiori experimentorum curâ explorat, aliis gemmis, lapidibus, vitris, bituminosis, resinosisq; Sulphuri, asphalte, lacce commanem vim attrahendi advertit. Reliquis tamen gemmis fortius Succinum attrahet, ut quod attritum pinguis efflavia eaq; tenacia copiosius emittit : Virtutem enim hanc oleosis particulis adscribendam persuasit experimentum, quod de colophonio gemina cepi ; altera enim post olei destillationem excepta pariter se electricam adducendo levia probabat ; altera vero, quam post Balsami nigri liquorem exemi, licet nitida & quasi vitrea esset, nullam vim attrahendi excerebat : Nimirum illa aliquid pinguedinis retinuit, hæc vero instar omni bituminosâ pinguedine prorsus exuta fuit.

III. Veteres quædam exceptiunt, quæ non adduceret ; Sympathiae & antipathiae miraculo ; perperam admodum, siquidem & ocyatum & oleosa & humida, ipsaq; aquæas guttas à succino attrahi pro habitu demonstro, insigni & politâ glebâ admota ;

motâ; eleganti spectaculo, quando effluviis ingredientibus guttas in bullam adsergit, aut quando pendula transilit.

IV. Sed & in corpus humanum hâc virtute Succinum agit: frusto cervici alligato partem, quam leviter attingit, leni sudore humectam tactu percipies. IL BOYLE, Angliae imò Europe Erudiæ maximum quondam decus, enarrabat & incredulo mihi asseverabat, illustris prosapicæ Virginem globulorum grandiorum lactei albescens corollâ ita affectam ut os in tremorem & quasi spasmum ageretur, quoties collo suspensam gestaret, remota vero corollâ tremoreni cessasset & convulsionem. Efficaciam autem attrahendi humores in fonticalis quidam globalis succineis persensere.

V. Sed quod duorum pedum spatio distantia corpora, levia licet, attraxerit, mihi incognitum; paleari veste induita animalia vero quod rapuerit, prosus fabulosum: quibusdam tam persuasum fuit, ut crederent.

C. III.

Odor, Sapor, Color & Levitas Succini.

§ I. Propria Succino est fragrantia, qualem nulla gemmarum exhalat; neq; ex reliquis naturæ foetibus, aromaticæ fortis, quidquam parem odorem spargit; non thus, non myrrha, non camphora, nec masticæ; In resinariâ intra formicarum acervos abditarum glebulis imitamentum habes odoraminis, sed ut in attritis & accensis discriben se prodat illico.

II. Diversus est flavorum sive igneorum ab albescentibus Odor; illorum pinguia, adeoq; blandiora, horum salsa & acriora sunt effluvia, quæ haud similiter nares afficiunt.

III. Peculiaris quoq; inter gemmas Succinis est Sapor; sed & hic variat, uti oleosarum & salinarum particularum variat miscela; alba fibras linguae pungunt, flava non item.

IV. A plerisq; gemmis & colorum varietate differunt: Nigrorem refugiunt; opaca rara sunt reperta, superant inter pura pellucida.

V. Deniq; levitate parem vix nominabis gemmam; dono dederam Amico rei gemmariae gnaro, peregrinè ex Asia reduci, corollam cum armillis & manubriis cultellerum variegati coloris, nec patriam gemmam dignoscere potuit nisi de pondere admonitus.

C. IV. Aliæ

C. IV.

Aliæ Succini virtutes, quibus à gemmis differt ; usus in medendo, citra præparationem Artis Pharmaceuticæ.

§ 1. **V**ana quorundam fuit opera in viribus Succini recentis, quando Virginitatem probandi facultate idem pollere, aut Lunæ decrementis incrementisve respondere prodiderunt.

II. Princeps virtus est corporibus animalium mederi, ad quam gloriam nulla gemma æquè accedit : Crudum citra artis operam est salutare, sive intus sive extus applicetur : Indis & Chinensis suffitus in delitiis habetur, ut in luxum degeneret : Sed Catarrhis ex pituita suffimentum prodesse vulgus novit ; Exhalationibusq; succineis alexipharmacis acceptum quondam tulerunt Electrotoreutæ Regiomontani, quod ipsi à peste manerunt intacti : Certè non efficacior adversus contagia suffitus, quam ex Succino ; Neq; ulli ex fodiinis litoris Sundavici graves aut pestilentes eruſere unquam vapores.

III. Fluxionibus capitis alba perpolita Succina sunt proficua, cervici alligata humores avellunt ; blanda quoq; oculis flavorum affrictio ; & fonticulis succinei globi lenius induntur.

IV. In pulverem contusum ad Urinam ciendam, ad calcum propellendum, ad muliebris sexus menstruum profluvium movendum multum valere, si cætera sunt paria, quotidiana loquitur experientia. Dono à Generosa Domina acceperam calculum plurium unciarum, duos articulos digitorum & supra latum, tres longum, quem carnificem Rustica in sinu pudoris tres menses passa erat ; dato Succini albi pulvere, cochlearis mensurâ, feliciter carnificinâ liberata est ; ipsam aniculam ad me adduci curavi, ut omnia exquirerem accuratius.

V. Pariter Succini pulvis, vino infusus, hinc sub operculo incoctus, calido vino epoto, & urinæ & calculo & mensibus trahendis infervit, quamvis minus efficaciter.

VI. In memoratos usus Medicos præstat album sumere ; salis enim maxima in his emitet virtus. Atq; PATERNUS PATRIS PATRIÆ in subditos affectus per præfectum litoris ea proper poscentibus colonis qui circa Succinum occupantur, libras duas albi in tutelam & curam sanitatis clementissimè quotannisd ilargitur.

Uſus Succini in medendo per preparationem Artis Pharmaceutice.

§ I. **L**ongum foret minutim recensere, quæ Pharmaceutica in externa & interna remedia ex Succino præparat ; præcipua solum attingo : Magisterium resinolum salubriter Pilularum formâ usurpatur, nec Balsamo Copaibæ cedet ; sive urina cienda, sive pituita digerenda, sive gonorrhæa tempe-randa : Idem Cephalicis Emplastris convenit.

II. Colophoniam Diaphoreticis quibusq; & Stomachicis Emplastris congruit ; commodo maximo si adversus paralyſin, apoplexiā, aut epilepsiam, aut etiam gangrēnam muniendæ sunt partes ; sumtu minori : Debilitatos ab arthritide artus benignè fovet : Nisi domeſtīca despiceremus, vel magis si non inconfutis circumſtantīs domeſtīcīs temerē abuteremur. Colophoniam Succini præ divinis quibusq; ac miraculosis dictis Emplastris commendare.

III. Oleum Succini Europæ & Asie præclarum præbet medicamen, sed imprudentiâ Medicastrorum infamiam incurrit ; Siquidem in gonorrhæa, calculo & mensibus suppressis sœpè in exitium ægrotis cessit : Parca ejus sit doſis, gutta una & altera aliquot drachmis Sacchari vires impertit ; frigido & pituitoso cerebro una guttula vertici aut futuris illita medetur ; gossypio excepta auribusq; admota fatus & tinnitus discutit ; ambustas frigore partes restituit ; partui difficiili fert opem, quod vel Veterinariis in Prussia innotuit, quamvis his pulvis magis in uſu Oleum autem eligendum quod aëreum, nullâ ab igne nota empyreumatis impreſâ, albescens, subtilissimum & fragrantissimum.

IV. Salis volatilis Succinei contra Epilepsiam aliosq; affectus Cephalicos à pituita oriundos decantata est medicina : Sed & Diureticum insigne pœſtat.

V. Essentia Succini est olei subtilior portio, adeòq; eadem de hac tibi promittes commoda, sed quod spiritus vini mixturâ diluta est largius in uſum affumi potest : valet quoq; ad arcendam gangrēnam extus.

VI. Sunt qui phlegma medicamentis adnumerant, sed quod-cunq; ipsi ineſt virium olei, atq; ſalis reliquias debetur, quibus ſi privatur ſatum ac fumofis exhalationibus imbutum reſtat.

VII. Quod poſtremum deſtillat craſſum oleum non niſi vul-in frigidorum artuum medelam conveniet, emp̄yreuma-nim

enim graveolens reddit, ut satius æstimem isto abstinere, & colophoniam integris viribus servare.

VIII. Pluribus modis istæ præparations variant, & aliis combinantur, parumq; abest quin omnibus morbis ex Succino paratum auxilium profet; sed simplicibus delectamur magis itaq; composita negligimus.

IX Illud unicum adjicio, mē justâ analysi ductu naturæ pura ab impuris separando, blando in subsidium-advocato igne vires Succini omnes ita coadunare ut salvâ fragrantia nativâ, pin- guium & salinarum particularum salvâ quoq; efficacia, exter- no internoq; usui idoneum remedium evadat: Balsamum Suc- cineum voco, in quo remotis terrestribus graveolentibus parti- bus volatiliores atq; delicatores amicissimo fluoris nexu atq; cohærent, nullo alieno in societatem admisso.

X. Quicquid à succino crudo aut arte quomodocunq; præ- parato expectari potest, citius, tutius & jucundius à nostro Balsamo præstabitur. Internè formâ pilularum commodissimè assumitur, aut boli; externè Apoplectici, cujus & colorem præ se fert, Balsami in modum applicatur; gingivis, linguæ, palato, in deliquiis, in passionibus hysterics, epilepticis, Pa- ralyticis, cum fructu affricatur: Prophylaxeos ergò quâvis sep- timanâ bis terve grana quinque, septem, decem, imo XV. tu- tò usurpantur; similiter in renum, Vesicæ, genitalium certis morbis, admixtis anodynîs; contra tinnitus aurium quam oleum afferit medelam, at certiorem.

XI. Balsamum hoc ut meditando elicerem fecit olei succi- ni vulgaris ob empyreuma ingratus odor, ob cuius fastidium quidam usum prorsus intermitterunt; fecit & ab olei usurpa- tione periculum, quum ignea prorsus sit naturæ; fecit & salis volatilis auxiliaris copia, quâ oleum destituitur.

XII. Non malè ap. Hofmannum & Ettmullerum Balsami Peruviani gratia oleo Succini jungitur; Ast felicior Peruviani & nostri Balsami Succinei, adversus gonorrhœam & fluorem album inprimis, societas erit.

XIII. Balsamum Succini vulgate ex Δ . admixto nihil ha- bet cum nostro commune. Sed nec elegantius Ettmullero com- mendatum quod Succini oleum & Sal volatile triplo olei Nu- cistæ expressi conjungit, ad illud accedit, nostrum enim & corporationem & colorem ex se ipso habet.

Sectio Quinta.

Chimica & Pharmaceutica Succini analysis, cum
matricis lignææ aliorumque litoris Sudavici
mineralium examine.

C. I.

Succini destillatio.

§ I. **S**uccini notior est destillatio, quam ut describi opus habeat: Et XX & retorta huic negotio inservire valent; verum per rimas multum olei & salis elabitur si retortam adhibes, vehementissimam enim olei & salis vim nullum lutum Philosophicum coercedit, praestat igitur retortæ operâ uti.

II. Attendum autem ut alba, si salis, si olei copiam elicere satagis, ut flava eligas: ex fibj. albi recepi salis volatilis 3js. quum ex flavi fibj. vix 3j. elicias. Felicius quoq; & suavis oleum proveniet si polita fragmenta, aut nitida, tenui cortice lucida frusta, quam si impura, crassâ crustâ investita, aut vulgarem rasuram adhibueris, nihil autem succino est admiscendum, quamvis silices & arenas addere olim fuit in usu.

III. Absit ignis vehementia; ex arena calor leviter intenditur; atq; justo regimine mox cum phlegmate ætherea oleipotio ascendit, quam limpidam peculiari vase excipies; ubi flavescens oleum prodiit cum sale volatili, cesset destillatio.

IV. Urgeri quidem potest Succinum, ut crassum liquorem nigrum fundat; parumq; capit is mortui nigri & splendentis instar Colophoniae erit residuum, sed hoc omni virtute olei & salis est spoliatum; ex fibs. albi restabat 3j. hujus capit is mortui. Sed praestat alias Colophoniae vires relinquere, quando gravior hujus præ factido nigro balsamo est usus.

V. Sal volatile, quod ad rostrum vasis evolavit, aut lateribus adhæsit, calidâ aquâ abluitur, atq; ut ab admixtis oleosis particulis separetur, chartâ humectatâ solutio percolatur; transeuente sale, restitat oleum: à solutione percolata postea superfluus humor abstrahitur, ut tertia pars relinquatur, quæ frigori exponitur, atq; singulares Salis concrescent crystalli, miliares quasi sive grandinosi.

VI. Alius est modus Sal depurandi, si feculentum vitro longioris colli inditum cinerum aut arenarum calori exponitur; niveis enim floccis, sive spiculis ad sublimiora loca evolantibus,

in fundo impurior pars haeret: verum haec operatio cum jactura vitri & salis est conjuncta.

VII. Quidam & phlegmati separando student, verum rectius hoc cum aquâ, quæ Sal volatile imbibit jungitur, ut pariter Sale suo exuatur; neq; reiterata destillatio illi conciliabit virtutem, nisi à sale volatili illam acceperit; nec gratus phlegmatis odor, ut in salis volatilis conservationem commendari possit. Accepi ex Ibs. albi phlegmatis 3f. quod salis succinei sapore erat imbutum, repetitâ autem destillatione tumum solum sapiebat, ceterâ satum & ingratî odoris.

VIII. In Colophonia, si non prorsus fuerit exusta, aliquid salis latitat, quod ope aquæ calidæ, mox quâdam macerationis educes: non nulli hoc sal fixum Succini audit; non rectè, quia parilis volatile est virtutis, sapore & odore eodem: Colophoniæ autem virtutem hoc quocunq; est salis intedit.

IX. Oleum omne, ut aliâ operâ depuretur non opus est, modo recipiens vas justo tempore mutetur, atq; rite instituatur destillatio, purissimum statim accipies.

X. Qualitates Olei Succinei ex bitumine sive oleo terræ sunt derivandæ, qua in re CL. BORRICHIO minimè refragor; sed quod idem omnes virtutes succinei Petræ oleo vult communes, in hoc dissentio: alteratum enim Succineum odor & sapor ab illo olei petræ aut terræ diversus demonstrat; at olei, ex ligni fossili destillatione, odor olei Petræ, non autem succinei odori congruit: Credo autem alterationem olei terræ in Succino salutem intimæ deberi combinationi.

XI. Quænam verò ista sint Salia determinare non licet, illa ipsa tamen erunt quæ Succini Sal volatile suâ mixturâ progenerant.

XII. Nullum enim est Succinum, cujuscunq; sit coloris quod sale volatili destituatur; atq; à sale volatili omnis ista peculiaris fragrantia; quantoq; sale abundant, tanto in attritu fragrantiora experieris.

XIII. Ut ut autem temerarium Naturæ arcana desinire, ex vitrioli tamen Martialis corpore sal istud succineum majori ex parte compendi citra crimen audaciæ affero; etenim in albis sale volatili insigniter pollutibus, & odore & sapore Chalcanthum tale manifesto deprehenditur.

XIV. Sed minimè communi vitriolo Sal Succini adscribimus; Vitriolum alteratum sit oportet quod tale virtutis singularis Sal volatile producit.

XV. Esse

XV. Esse autem Vitriolum Prussicum ab aliarum Regionum chalcanthro diversæ naturæ, analysis inferius declarabit.

XVI. Certè ab acido originem trahere sal volatile, acidus, isq; non ingratus, fermè vinosus sapor arguit; ad spiritum Vitrioli Philosophicum proximè hæc gratia acoris in Sale volatile Succini accedit; pungit, minimè corrodens; affusoq; sp. vitrioli non effervescit, neq; ebullit, nec consumitur, cum sp. salis armon. commissum bullulis excitatis cum stridore absorbetur.

XVII. Subtilissimum hunc & gratissimum volatile Salis Succini acorem moderationi bituminosarum exhalationum vindico; quemadmodum V. cum Spiritibus Nitri aut Salis combinatus hos mitiores reddit, ut dulces audiant. Siquidem dum bituminis particulas dispersas calor subterraneus in unum cogit, fit ut hæ per ditiones vitrioli transitum faciant, quas dum permeant, subtilissima vitrioli effluvia eodem calore excitata secum rapiunt, minori, majori copiâ, atq; in matricem ligneam auferunt, ut iunctis feminis Succinea pronascatur proles.

C. II.

Aliæ Succini Præparations Pharmaceuticae.

§ I. **S**uccini, quâ in pollinem terendo redigitur, levior est præparatio; euidem parùm interest, pulverem contundendo an terendo minutum exhibeas; scilicet utroq; modo prodest, vel brutorum exemplo, quæ avidè Succinorum minutias devorare annotavimus.

II. Verum tamen quod divisio in minima ad faciliorem compositionem cum succo nativo animalis disponit, non inutilis in medicina ista erit opera: Adeoq; miror CL. Etmullero Commentarium Ludovicianum hoc nomine suspectum visum; quasi Succinum sit subiectum à nullis menstruis solubile; unde dubitamus, inquit, an in pulvere datum, illud aliquam positivam in Corpore habeat efficaciam. Non in mentem venit VIRO industrio, quod SCHRODERUM dilucidans Succinum in substantia egregium & singulare adversus Gonorrhœam specificum dixerat: Praxis Prussiae constans ipsum refellit; refellit & globus Succineus in ventriculo ovis coagmentatus; deniq; Sapor Succini commansi ipsum refellit.

III. Infusionem Succini aut coctionem præteritem, nisi inter euporista domestica merito hæ præparations locum sibi dari poscerent: certum est, quod virtus Succini coquendo in vinum transeat; sed & in fundendo atq; digerendo vinum Succino medicatum impetrabis.

IV. Essentiam sive Tincturam affusus Succino V. parat, qui tamen à puris albis flavedine non tingitur; an Viginus präfet, an dilutus, in dubium vocaveris, illas enim eleosæ, hunc salinæ partes depositum; verum cedit Succinum ut iaq; & per digestionis quamcunq; moram necesse est ut V. tandem redatur dilutior, präferendus itaq; generosior.

V. Felicius autem tinctura proveniet, si ramenta tenuissima cum V sociaveris: quidam ol. □ i.p.d. aut (J) fixa i adiuntur, aut his V acuant, ut major virtus & cœsus in Spiritum transeat; non male; nisi quod alieni particeps hæc evadat tinctura.

VI. Sed & ebullitione in vitro oblongi colli succinum felicium dissolvitur, ut virtus promptè suscipiat, & spiritus illâ saturetur penitus; id quod sola digestio longissimâ morâ demum assequetur.

VII. Majores Magisterium ex Succini extracto per acidum redigere satagerunt, nullo operæ pretio; Si acidum Succini pulvri associare cupis, terendo idem assequeris rectius.

VIII. Præstantius magisterium dabit tinctura abstracto V resinofum istud est, imò ipsa resina sive eleosa pars Succini quamcunq; mutationem passa; siquidem V. quem distillando recipis succineis viribus imprægnatus intimam sui cum Succino unionem indicat.

C. III.

Matrix lignæ distillatio.

§ 1. **S**Elegi lignum fossile siccum cui vitriolan: non adhærebat: Verum postquam & in siccissimo aliquid salini latitare adverte, stellulas nimirum illas radiantes, fila vel strias, quæ, quidem vitriolicum saporem gustui non offerebant sed insipidae à lingua judicabantur, & has prius educere decrevi.

II. Fragmenta ligni contusa aquâ calidâ maceravi, lixivium subdulcis aluminosi aut martialis potius erat saporis, ut ægide tandem aliquid vitriolici persentisceres; sed ad crystallos salinos congregandos insipissatum magis atq; magis vitriolicum saporem prodebat ipsiq; crystalli eundem referebant, nisi quod primum martialis dulcedo linguam afficeret; id quod repetendo solutionem & corporationem in crystallos denuò expertus sum.

III: Exutum sale lignum retor: indidi; & calore arenæ intensissimo, ut intra vitrum fragmantata candenter, omnem humorum elicui: Lacteus prorsus erat liquor qui prodibat, specie emulsionis

emulsionis amygdalarum ; quādam postea in superficie cuticulā & subsidentibus in fundo particulis calciformibus.

IV. Odor gravissimus sulphureus, qui to:um hypocauustum illicò pervadebat ; Sed proprius admoto liquore nares succineum quid percipiebant, non quidem fragrantis glebæ aut olei, sed phlegmatis aut post destillationem in retorta residui : Sapor quoq; qualis phlegmatis, fumosus ab empyreumate, salso-aciduli quidpiam gustui intermisces.

V. Lacteus color in liquore postea disparuit, pinguiori reflectâ cuticulâ. Denuò partem igni feci exponi, si qua sal volatile & priores olei guttas reiteratâ destillatione exciperem : Verùm Salis volatilis nihil ascendit, oleosæ autem particulæ subtiliores innatabant, non amplius in modum cuticulæ cohærentes ; quædam etiam formâ globulorum pellucidorum fundum perierant, igneo succini colore conspicuæ.

VI. Exigua portio olei, aliquot gutterum ex fibj. liquoris ; sapore & odore oleum petræ proflus imitabatur ; globuli verò, ut ut in fundo resinosi apparerent, levi concussione liquori commiscebantur.

VII. Calciformes particulæ tenuiori terrestri portioni adscribendæ erunt, ignis vi sursum elatæ.

C. IV.

Matrix lignæ post destillationem examen Docimasticum.

§ I. **L**ignum ex 6 exemptum brunnoferruginei erat coloris ; multum sulphuris exhalabat ; accensum instar fomiti ignem alebat ; Superficies ejus leviter rubro pulvifculo cōspersa fuerat.

II. Crucibulo impositum per tres horas ignis exercuit ; refrigeratum pariter cinnabarino quasi pulvifculo obrectum fuit : flammæ admotum minus promptè ignem suscepit, neq; diu detinuit, nedum ut fomitis instar propagasset : spirabat autem sulphur auratum, hujusq; saporem communans præbuit ; accensum verò minus sulphuris exhalabat quād quod in 6 erat relictum : Colore etiam lucidiori.

III. Denuò in Crucibulo ultra novem horas detinuimus, neque accendi amplius potuit, sed instar amianthi album post ignitionem comparebat, nullo sulphuris odore.

IV. Color post tam longam in Crucibulo moram ex griseo partim nigricans, partim splendens : microscopii ope aliae partes instar scoriarum, aliae instar chrysocolla, aliae instar calcis efformatae dignecebantur.

V. Tostum

V. Tostum atq; exustum satis lignum felle vitri admixto igni fusorio expoluimus; & facile coierunt in massam, quæ granula dispersa Reguli martialis exhibuit posteà.

VI. Dum verò in unum corpus ista granula fortiori igne cogere intendimus, colliquata cum regulo massa, ex nigro splendens, vitrea producēta est; neq; ad reiterandum examen justa copia ligni aderat, neq; vitreum coagulum in ulteriore docimasiā sufficiebat.

C. V.
Vitrioli Prussici examen.

§ 1. **D**iversâ specie nativum Vitriolum in litore Sudavico proigni superius enarravimus; qualecumq; verò sit, sive illud amianthi forme, sive fusum alterum, attritu chalybis prodit sibi non cum ♀, sed cum ♂ societatem initam; nullam enim cupri indicem rubedinem relinquit.

II. Nativam amianthi forme solutum & in crystallos redatum idem confirmat; subdulcis enim ac planè martialis primo sensu percipitur sapor, qualis Salis sive solutionis Martis.

III. Crystalli non istâ specie quâ Goslariente concrescunt; solutionem autem prius depurgavimus affusa urinâ, atq; lemotis fecibus concrevit terra foliacea; reliquus liquor crystallos sapphirini fermè coloris inæqualibus angulis exhibuit.

IV. Cæterum ex solutione inspissatâ hincq; filtratâ succedente evaporatione, album Olum prodiit, quod furno pistoris leviter calcinatum loricatae retortæ inditum sp. vitrioli intra 24 horas fudit egregium, qualem ex Olo martis alias officinæ parare solet.

V. In Colchotare multum Salis Oli adhuc latete, ope microscopii exploravimus; ut pateat quomodo Olum in colchotare æri exposito regenerari intelligendum.

C. VI.
Terræ corticosæ flavæ, lutæ cœrulei examen.

§ 1. **N**IL intentatum relinquere decreveram, meditbarq; omnia litoris Sudavici mineralia ad examen ignis revocare, ut nec terræ bituminosæ, nec fabulo, nec Dætylis idæis, vel aquæ ex litoreis montibus dimananti parcerem; veju m prævidi non nisi SERENISSIMI indulgentiâ ac manifestiâ singulari horum atq; aliorum omnium accuratius scrutinium institui posse; quæ propter studia & conatus meos inhibere

hibere cogor donec SERENISSIMI augusta gratia vires superrandæ rei difficultati pares clementissime largiatur.

II. Terram tamen corticosam ejusdem cum ligno fossili esse naturæ ignis examen confirmavit ; leviori testione opus erat ut ex hac aliquid metallici eliceremus, licet quod obtinuimus exiguum esset.

III. Ex luto cæruleo olim per destillationem Spiritum nactus sum volatilem sulphurei odoris, & bituminosi quid in superficie comparebat.

IV. Terram verò flavam ad martem inclinare adverti ; & Vitriolizi aliquid traxisse ex confinio sapor arguit & odor.

V. Sed horum & aliorum fossilium litoris Sudavici examen Docimasticum accuratius urgebo, quamprimum SERENISSIMI auctoritate & jussu ipsam tellurem altius introspicere & perscrutari datum fuerit.

Sectio Sexta.

De prudentia civili, quomodo hæc Succinum in rem suam vertat.

C. I.

Succinum regale, quomodo curetur.

§ 1. QUÆ Physico enarranda atq; demonstranda, quæq; Chimico illustranda erant, succinctè omnia recensuimus ; adjiciendum, quomodo thesaurus hic Succinorum à Prudentia custodiatur, atq; in Reip. usum convertatur.

II. Inter regias opes antiquissimis temporibus repositus fuit, Regibus, qui terras Succineras tenuere, jam olim Succina colligentibus, ut magnificentia munerum aliis pares essent. Apud Solinum REX GERMANIAE, (PRUSSIÆ intelligen-
dus, quum Germania tantis opibus succineis nunquam gavisa sit, tredecim millia librarum Neroni donum misit. Non unus sed plurimorum annorum congestus iste fuit acervus ; intentior enim licet curâ nostro ævo hausta & fossa condantur Succina, ad mille libras raro accedunt, quemadmodum Cata-
logi redditum Succinorum manifestant. Sic & publici Suc-
cinorum fuerunt thesauri, qui ab Æstiorum Legatis Theodo-
rico Gothorum Regi ap. Cassiodorum oblati leguntur ; Barba-
ræq; gentes pretiosissima quæq; regiis Gazis inferre noverunt.

III. Cessasse tamen & Civibus Succina istis seculis in com-
mercium,

mercium, ex Tacito; & ex Avicenna, quod quondam occupantium fuerint addiscimus.

IV. Prisca autem ut mittamus, Prussia inter regalia crucigerorum ordini Succina vindicavit, aliquo in eadem Episcopi Sambiensis jure. Atq; publicâ autoritate collectio est instituta, severis in depeculatoribus legibus.

V. Secessione Civitatum ordinis æarium accisis Succini redditibus non leve detrimentum paßum est, quamvis obnixè omnia ageret ut integro thesauro solidè potiretur.

VI. Post Crucigeros Ducum Prussiae quæ fuerit in servandis Fisco Succinis cura Annales parcus eloquuntur: Deslinati tamen operi memorantur litoris Sudavici Coloni, quibus ex Capitanatibus Schakenfi & Fischusano additi sunt alii: Servituti non statim dies, sed si quod capturæ tempus commodum, diu, noctuq; hieme æque ac æstate.

VII. Stipendium his, domus instructa & agellus atq; à tributis immunitas; haustiq; vel lecti Succini modius modio Salis redhostitur: fossili præsens pecunia adjicit auctarium!

VIII. Crucigeri Dominum Succinorum vocabant qui succineis rebus præerat; alicubi & Commendatoribus ista cura incumbebat. Sub Divo ALBERTO Magistrorum atq; postea Camerariorum nomen frequentius fuit, Equestris dignitatis viris hoc munere defungentibus: Nostrâ ætate partem muniris capit capitaneatus Fischusani Præfetus, partem teloniorum Director, administratore litoris peculiari.

IX. Administratori Custodes litoris Equites (*Dimond Keuten*) præstò sunt; Equitibus autem adjuncti sunt servi Cameræ (*Hunmer muſta*) qui pedestres cum Equitibus munus custodiendi alternant, quandoq; si opus est, & horum vices obeunt.

X. Administratoris officium est ad operas ordinandas jussa edere, Succina undiq; recipere, congesta Regiomontum transmittere, farta præcavere, de inventis disceptare, & regale SERENISSIMI ubiq; inviolabile præstare: Hujus etiam est Sal Colonis distribuere.

XI. Equites & servi Cameræ litus de die obequitant aut circumieunt, ne quis Succina tollat; iidem tempestates observant, & colonos si hauriendum fodiendumq; convocant, fossumq; & haustum recipiunt.

XII. Nulli Colonorum succina detinere domi licet, sed ad Equitem aut alium, cui istud delegatum, deferunt; quæ in Pillaviæ

Pillaviæ & Neringiæ recentioris litore leguntur, scriba teloni ab his Suscipit. Si quando angustia temporis, insigniori copiâ, in litore feligere non permittit, domum asportandi facultas conceditur ; vi juramenti autem proximâ luce eadem redunt : Inter hauriendum & fodendum Operariis foccus à collo pendet, & furti reus habetur, qui vestimento glebam abdidit.

XIII. Recepta à Colonis Administratori exhibentur, à quo Regiomonti in Succinorum Camera reconduntur, atq; præsente Directore teloniorum discernuntur & divenduntur.

XIV. Olim plures Succinorum Cameræ erant, Lochsteti, Dirschkeimi, Memelæ, Germovиæ, singulisq; sui præerant Magistri.

XV. Præter iltam accuratissimam Oeconomiam regale hoc gravissimis SUPREMI DOMINI & Juris Provincialis Piutenici legibus est munitum.

XVI. Extra litora, Succina in prædiis Fisci reperta Praefatis sunt restituenda ; quæ in privatorum fundis, si non privilegio Domino vendicari poterunt, fisco necesse est pariter cedant ; quamvis hactenus privatis invidendas ex Succino opes obtigisse non memini.

C. II.

Lucrum Fisci ex rudi Succino.

§ 1. **Q**uondam Privatis Succinorum capture erat elocata, ut certà annuâ summâ præsentis pecuniae 10000. aut 12000. talerorum redimeretur, præterquam quod in colonos impensæ erant facienda.

II. Verùm plus quæstus ad fiscum rediit, postquam publicâ auctoritate non solum curata, sed & divendita sunt Succina, certo pretio cuiilibet generi Succinorum ad mensuram statuto.

III. Succineæ rudes glebæ in auctarium pretii discernuntur, Capitales (*Hauft Stuck*) aliquot unciarum pondere, carius veniunt ; tornatiles (*Dubly*) palmæ longitudine ac latitudine, minoris constant ; minimæ (*Krauß*) his cedunt. Illis autem, quæ aliquot librarum pondera æquunt, nulla certa est æstimatio.

IV. Puritas, dignitas coloris, pretium adauget ; vilissima habentur impura, (*Diblück*) pretiosissima alba, lactea.

C. III.

Lucrum Privatorum ex Succino rudi & elaborato.

§ I. **S**Alvo Regum thesauro, priscis Succina distrahere licetum fuit. Julianus Eques Romanus, qui Neronis manus gladiatorium curabat, ad litora nostra missus est, ut cœmeret, Auctore Plinio : Pluribusq; Cluverius edifferit, ipsos Gothones, horumq; conterminos Ästios Succinum in Pannioniam & Italiam confinium non modò Plinii, Tacitive, sed & Herodoti avo solitos suisse deferre, recipiente ab Italies Graciâ.

II. Crucigeris Dominis Lubecenses & Stolpenses Succinorum commerciis inclaruere : Postea & Gedanenses atq; Regiomontani.

III. Nostrâ ætate Gedanensium maximus ex Succinis est quæstus, postquam Mercatores Prussica ad se traxerent, Electrotoreutarumq; collegium quæ Neringiæ recentis litus offert, solidè possidet.

IV. Cruda Orientalibus Populis magno pretio venduntur ; Armeniisq; & Persæ olim Regiomonto asportari curarunt, lucro civium non contemnendo.

V. Ceterum ars Electrotoreutarum majorem quæstum facit sculpturâ ac celaturâ aut torno varias figuræ inducendo, ut inter pretiosissima habeantur ex Succinis fabrefacta opera.

VI. Operibus pretium intendit si ex eadem massa integra confecta, si nobilioribus coloribus sunt conspicua, si rariora Naturæ pigmenta monstrant.

VII. Primus ego persuasi ut Italos & Gallos imitentur, qui effigiem rerum & animalium segmentis aut tessellis gemmarum ingeniosè componunt : Et succederet, opus, si SUPREMI DOMINI iussa accederent, facultasq; daretur felicandi, quæ ad vermiculata sive Musiva istiusmodi opera requiruntur ; etenim opaci colores, quibus ars maximè indiget, in succinis occurunt rarissimi.

VIII. Neq; solum arte Toreuticâ, sed & Pharmaceuticâ ex Succinis lucrum redigi potest ; quum Agyriæ Circumforanei adulteratis oleis & ballamis Succinorum tantum argenti lucrentur.

IX. Præterea vernicis ex Succino magnus est usus ; atq; lacca non cedit Succinum, si rectè præparatur.

X. Infectores quoq; pellium, Russi in primis ac Judæi Succinum operæ adhibent ; ut & horum ratione ex Succino quæstus promitti queat.

C. IV. Litr.

Lucrum Fisci ex lucro privatorum Civium.

§ 1. **P**ersuasus sum, nullam Remp. solo naturalium rerum proventu ditescere, sed ut nunc vita est hominum, non nisi artium operâ divitias acquiri: exemplis obviis, quod Regna Provinciæ, quæ opibus pollent, simul & artibus excellant.

II. Electrotoreutarum itaq; ingenia excitanda putavi ut artis beneficio majorem ex Succino quæstum Cives facerent, qui in Fiscum tandem esset redundaturus.

III. Sanè quum munera sociis Regibus aut Rebuspubl. offrenda non parùm sumtuum requirant, utiq; si domi ista para ta habentur Parcimonia hæc magnum erit vectigal.

IV. Sed & quum illa temporum nostrorum sit felicitas, ut sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet, patriæ divitias cum SUPREMI DOMINI thesauris arctissimo connubio jungendas censeo.

V. Quod commodius fieri non potest, quām si succinorum, quibus PRUSSIA præ omnibus Regionibus abundat, commercia ita componantur, ut non solum ex crudis ærarium acquirat, sed ut ex arte elaboratis pariter in illud aliquid deri vetur.

VI. Si Electrotoreutarum Collegium, uti est summâ SERENISSIMI auctoritate constitutum eilde in auspiciis ad istas opes provehatur, ut pretio conveniente rude omne Succinum à Fisco possit redimere, quotannis verò designatis artis operibus in Thesaurum collatisistam DOMINI SUPREMI indulgentiam demereatur.

VII. Eo futurum spero, ut excitatis ingenii Regiomontanorum Artificum operæ famam, quam diu perdiderunt, recuperent, peregriniq; rursus alliciantur, qui merces succineas hic locorum conquerant; ex quo genere commercii non unâ ratione Fiscus nova subinde commoda percipiet, sive suas merces importent, sive succineas exportent, præterquām quod Civibus occasio lucrandi præbeatur.

§ 1. **I**llustre Succinei operis Museum, extrui potest, cui omnium, quotquot Europæus orbis celebrat, gazophylaci orum splendor cedat.

II. Certis forulis hoc Museum distinguendum; Alius enim locus debetur haustili Succino, in quo & signa quæ Capturam præcedunt, capturæq; instrumenta ingeniose recondita cum ipsa pescatura commonstrabunt.

III. Alius fossili est adsignandus, qui non solum fossorum operam sed & matricem, & in matrice quiescentis Succini glebas, omnifq; generis, quæcunq; litus Sudavicum recondit mineralia ante oculos ponet.

IV. Tertius locus rudium Succini glebarum admiranda sit, sive moles, sive forma, sive crux illis admirationem conciliaverit: Hæcq; memorata loca augustius spatium occupabunt.

V. Postea Phænomenis colorum insignitus conspicua Succina erunt disponenda; ut non solum pigmenta Naturæ, sed & delineamenta literarum, sylvarum, fluviorum, nubium, aliarumq; rerum complurium, ipsorumq; animalium in Succinis obseruentur.

VI. His succedent feretra, quibus animalcula, vegetabilia, mineralia, aquas, casus abscondidit.

VII. Inde Artis Pharmaceuticæ in medelam hominum circa Succinum studia distinctis capsulis signanda.

VIII. Demùm & quæ à variis Artibus ex Succino in usus certos parantur aliquem merebuntur locum.

IX. Cunctis istis apparatus succineus Conclavis fulgorem addet; si mensa, si sellæ, si candelabra, si specula, si alia quæq; utensilia Succino inducta comparebunt.

X. Præsertim si in imitamentum Musivorum operum tessellata aut segmentata Succina ars coaptare edocta fuerit.

XI. Neq; magnificentius hæc dici quam fieri posse intra lustrum demonstrabo, si SERENISSIMUS istam mihi curam clementissime injunget, illorumq; quibus opus est subsidiorum faciet potestatem: Totum autem Museum Succineum exornatum reddere, non unius lustri, nec unius ingenii erit labor.

XII. Augeriq; possunt armariola; si exoticæ, si extra Prusiam reperta Succina, si ex animalibus exempta observatu digna judicabuntur.

S. D. G.